

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Homo t  
cum fonte primo

Omnia suo bono constant.

Vitem fertilitas commendat, sapor uinum, et uelocitas ceruum;  
quam forcia dorso iumenta sint quaeris.

In cane sagacitas prima est, si feras inuestigare debet,  
cursus, si consequi, audacia, si mordere et inuadere.

Id cuique optimum esse debet, cui nascitur, quo censetur.

In homine optimum quid est?

Ratio. Hac antecedit animalia, deos sequitur.

Ratio ergo perfecta proprium hominis bonum est,  
cetera illi cum animalibus satisque communia sunt.

Valet et leones, formosus est et pauones, uelox est et equi.

Corpus habet et arbores.

Habet impetum ac motum uoluntarium et bestie et uermes.

Habet uocem sed quanto clariorem canes, acutiorem aquile,  
grauiore tauri, dulciorem et nobiliorem luscini?

Seneca LXXVII. epistola ad Lucilium.

Omnia suo bono constant.

Vitem fertilitas commendat et sapor vini, uelocitas cervum;  
quam fortia dorso iumenta sint quaeris,

quorum hic unus est usus, sarcinam ferre;

in cane sagacitas prima est, si inuestigare debet feras,

cursus, si consequi, audacia, si mordere et invadere:

id in quoque optimum esse debet cui nascitur, quo censetur.

In homine quid est optimum?

ratio: hac antecedit animalia, deos sequitur.

Ratio ergo perfecta proprium bonum est,

cetera illi cum animalibus satisque communia sunt.

Valet: et leones. Formosus est: et pavones. Velox est: et equi.

Non dico, in his omnibus vincitur;

non quaero quid in se maximum habeat, sed quid suum.

Corpus habet: et arbores.

Habet impetum ac motum uoluntarium: et bestiae et uermes.

Habet uocem: sed quanto clariorem canes, acutiorem aquilae,  
graviorem tauri, dulciorem mobilioremque luscini?

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae morales*, 76.8-9  
(L. Reynolds ed., vol.1, p.238, ll.12-26).